



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. Spes per morbi dolores incitata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

in illis morbus est occasio credendi, qui sanantur, & in ijs, qui pro sanando rogant; immo & illis, qui vident sanatum. *Cognovit pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei IESVS: Filius tuus venit: & credidit ipse, & domus eius tota.* Quin & hereticos nonnullos nouimus, qui, cum aliis Sanctorum inuocationem rississent, postquam eorumdem inuocatione, Catholicorum consilio, adhibita, conualuissent, fidem etiam Catholicam amplexi sunt. Quemadmodum & Naaman Syrus, ob beneficium sanitatis à Propheta impetratum, transijt in religionem Israëlitarum, & credidit in illum, *qui sanat omnes infirmitates.* Inter indicia certè fuit Messiae, eum ægros sanauisse ad diuinitatem suam demonstrandam. Hinc Matthæus ait: *Obtulerunt ei multos daemones habentes: & eiecit eos Spiritus verbo: & omnes male habentes curauit: ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem. Ipse infirmitates nostras accepit: & agrotationes nostras portauit.*

Ioan. 4. 52

4. Reg. 5. 17.

Psal. 102. 5.

Matth. 8. 16.

Isa. 51. 4. &

1. Petr. 2. 24.

X.

3. Fidei credentium, se posse bonam pristinamque valetudinem diuina ope recuperare, facile se sociat spes. Libenter enim, quod optamus, speramus, si fieri posse non dubitemus. Hinc morbus, qui corpus aggrauat, mentem ad Deum attollit, facitque ægros, quod desiderant, flagitare. *Tristatur aliquis vestrum? orat, & rursus. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ferè omnes, quos Christus sanauit, vel sua, vel aliorum oratione, sanitatem impetrauerunt. Ezechias quoque vsque ad mortem æger, *conuertit faciem suam ad parietem, & orauit Dominum.* & obtinuit adhuc quindecim vitæ annos. Non orasset, nisi sperasset; neque sperasset, nisi eam Deo sanandi potentiam esse credidisset. Ut ergo crederet, ut speraret, ut oraret, morbus in causa fuit. Hoc ipsum monuit sapiens: *Fili, in infirmitate, ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse te curabit.* Nimirum idcirco, diuina prouidentia, per morbum corpus deiecit in lectum, ut animus ægroti in calum erigatur. Itaque erigitur, quia cogitat, Deum adeò esse sapientem, ut non possit nescire, quid quisque patiat, ac dolores occultissimos, eorumque radices, causas, remedia nòrit: & vires cuius-

Iac. 5. 13.

4. Reg. 20. 20

Eccli. 38. 9.

296 Cap. XXVIII. Duodecimus morbi causa, ut virtutes excitentur, cuiusque ad illos tolerandos dolores; quas vires augere queat, si expediat; uti & morbos sua potentia tollere, siue per apta medicamenta, siue etiam per contraria. Cum qua potentia agnoscit coniunctam bonitatem, ut suos plus diligit, quam ipsi se metiplos. Hinc porro confidit, eum sua providentia nihil statuisse, quod non dirigat ad ægrotantis salutem, siue statuerit morbum, siue sanitatem.

XI.

Psal. 13. 4.

Aneas Syl-
vius in hist.
Bohem.

Apoz. 7. 17.
et 11. 4.

Eccli. 38. 9^o

XII.

4. Æger, dum credit, sperat; dum sperat, orat pro sanitate. Sed quia illi conscientia suggerit, non dignos esse, qui exaudiantur, Dei inimicos, cogitat de peccatis per pœnitentiam expungendis; iuxta illud: *Multiplicata sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt*; cogitat de placando Deo; cogitat de inferni supplicij, ad quæ, si comparentur omnes morbi, umbra sunt. Wenceslaus Bohemix rex, cum, toto exercitu profligato, & viribus fractis, captivus teneretur, rogatus, *Quo animo essis?* Respondit: *Numquam meliore. Cùm enim, inquebat, omnibus humanis presidij vallatus essem, vix de Deo cogitandi spatium daretur; nunc illis omnibus exutus Deum solum cogito, & in eo spem meam colloco, qui me, sat scio, non deseret, sed innocentem exaudiet.* Ad eundem modum, qui negotiorum magna multitudine ac varietate distracti, animum ad sidera attollere non possunt, per morbos in lectulum coniecti, incipiunt ad se redire, vitæ fragilitatem, fortunæ fugacitatem, humanam calamitatem, denique tristissimam damnatorum, & lætissimam beatorum æternitatem meditari. Hinc pœnitentia exurgit. Hinc pia suspiria. Hinc sancti gemitus, & desideria illius regionis, in qua *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum.* Hinc antè actæ vitæ pœnitudo. Quamobrem, cum sapiens dixisset: *Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse te curabit*: mox adjecit: *Averte a delicto, & dirige manus, & ab omni delicto mundetur tuum. Da suavitatem, & memoriam similaginis, & impingua oblationem, & da locum medico, non solum corporis, sed etiam spiritali: ipsi verò Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorū, & sanitatem, propter conversationem eorum.*

5. Inde vilescunt terrena, cælum sapit, & extincto rerum caducarum amore, diuina appetuntur, quorum desiderio
animus